

DE
ANTIQUITATE
FODINARVM METALLICARVM

PRAEFATVS

AD
ORATIONES PVBLICAS

OBSEQVIOSE INVITAT

M. IO. GOTTL. BIDERMANN. R.

FREIBERGAE,
Litteris SAM. FRIDER. BARTHELII.



CXII.

1760



ist. Saxon.
M.
1854

XCI.

Qui in tractu Germaniae metallifero versamur, ubi videmus, quanta vis aeris quotidie ex puteis eruatur, simul autem legimus vel audi-
 mus, quanta copia praestantissimi metalli- inde a prima origine fodinarum Saxoniorum per sexcentos fere annos ex terrae visceribus in lucem protracta fuerit, summi rerum conditum opificem merito admiramur, qui opes non pauciores sub terra abscondidit, quam super ea disseminauit. Multo vero iustior nobis cauſa est mirandi, has diuitias subterraneas iam priscis saeculis et cognitas et publicos ad usus adhibitas fuisse. Quum enim Tubalcainus aeris tractandi et ferri poliendi peritus cominemoretur, a) quis dubitet, ista metalla iam ea aetate fodinis excisa et manibus hominum trita fuisse? Accedit, quod multi nomina honestissima a re metallica acceperint, e. c. duo filii Iauanis, Kittim et Tarschisch, ab aere contundendo et percutiendo, b) itemque Letuschim, ex posteris Abrahami, matre Katura nati, c) atque poliendis metallis appellati. d) Et quem fugit, terram Canaanis, vel Palaestinam, quae diuina sorte filiis Iacobi adsignabatur, non melle solum et lacte, sed praestantissimis etiam metallis abundasse? id quod Deus ipse populo suo pollicebatur, dicens: e) *introducemini in terram, quae pro lapidibus ferrum habet, et ex cuius montibus metalla effodietis.* In primis autem tribus Aſſer, auspicatum omen nomine fausto praeferenſ, hac felicitate eminebat, ut metallorum feracitate reliquas anteiret. Id quod vir diuinatus admonitus, Moses, iam morti vicinus, disertis verbis vaticinabatur. f) Quam excellentiam etiam Debora animo contemplata videtur, Aſſeris familiam מִפְרָצֵי־לַעַן habitaturam praedicens. g) Haec enim verba omnium planissime in secturas aerarias conuertuntur, quibus ea regio adfluebat: neque opus est, ut cum Cel. BOYSENIO ad Arabum radicem configiamus, et ex ea significacionem termini vel finium mutuemur. h)

Ultra metas vero progrederer, si omnes ac singulas urbes percensere uellem, quae in regione Canaenaeorum et Phoenicum, (hos enim ex posteris Canaenaeorum origine in traxisse, constat,) metalli fodinis excelluerunt. Inter ceteras Sidon celebratur, de qua Eumaeus apud HOMERVM gloriatur: i)

ἐκ μεν Σιδωιος πολυχαλκη εὐχορατ εἴναι,

h. e. *honori mihi duco, ex aerifera Sidone me prognatum esse.* Cui non tantum vicina, sed eadem etiam dignitate Sarepta par erat, nomen à στένη h. e. conflans metallis nacta, et ipsis in sacris litteris celebrata. k) Et, ne quid de terra

Ophir

-
- | | | | |
|-------------------|---|-------------------|--|
| a) Gen. IV, 22. | b) Gen. X, 4. | c) Gen. XXXV, 3. | d) Hieronymus in
Quaest. Hebr. in Gen. ad h. l. |
| g) Iud. V, 17. | h) Kritische Erläuterung des Grundtextes A. T. im
III, St. p. 528. | e) Deut. VIII, 9. | f) Deut. XXXIII, 25. |
| i) Odyss. O, 425. | | | k) I. Reg. XVII, 9. |

Ophir dicam, incredibili auri copia insigni, itemque de iis ferri fodinis
 (הברות המנויות) ad quas Davides Ammonitas damnauit, l) ciuitas in Idumaea
 princeps, *Phinon*, metalliferis priscae aetatis locis iure accensetur. Namque
 THEODORETO teste, m) homines malefici τοις Φενετοῖς μεταλλοῖς παρε-
 διδούτο, Pheneſiſ metalliſ mancipabantur. Neque à uerisimilitudine abhorret,
 homines profanos ex hoc nomine Faunum exsculpſiſe, quem metallorum tra-
 citorum artificem finxerunt. Porro mons Thraciae, *Pangaeus*, hoc loco fi-
 lentio praetermitti non debet, in quo Cadmum, Phoenicum, auri egregia me-
 talla reperiſſe, PLINIVS testatur: n) ex urbis vero, huic monti vicinae, et sub-
 iectae insulae *Scaptensulae* fodinis auriferis annuum prouentum trecentorum ta-
 lenterum rediſſe, HERODOTVS narrat. o) Et Macedoniae urbem, quae ini-
 tio Crenidae nomen habebat, à rege Philippo autem occupata *Philippi* diceba-
 tur, opes auri immensas suppeditaſſe, DIODORVS SICVLVS his verbis
 adſfirmat: p) τα κατα την χωραν χρυσα μεταλλα παντελως ὄντα λιτα και
 αδοξα ταις κατασκευαις ἐπι τοστον η ξησεν, ὡς διναδαι φερεν αὐτω προσο-
 δον πλεων η ταλαιτων χιλιων, h. e. Philippus aurifodinas, quae per eam regio-
 nem proſtabant, per quam tenues adhuc atque obscuras, operum ſtrucluris adeo
 prouexit, ut plus quam cl. talentorum reditus praefarent. Cuius in rei
 memoriam idem rex aureos numos cudi iuſſit, tam ex ſuo quam urbis nomine
 Philippicos adpellatos. Deuicto autem Perſeo, et Macedonia imperio Roma-
 norum ſubiecta, hiſ non minus iura metallica quam fodinarum reditus cedebant.
 Quod ut publice conſtaret, P. Aemilius singulari edicto fanciebat, ne Macedo-
 nes in poſterum auri atque argenti metalla exercereſt, ſed ſoliuſ ferri uſu frueren-
 tur. q) Neque minus *Theſſaliam* aurariis celebrem fuſſe, IVSTINVS refert: r)
 nam in hac regione ipſe fluuius Peneus argenti ramenta voluebat, eam ob cauſam
 ab HOMERO αργυροδινοſ h.e. argenteos vortices habens, adpellatus. s) Et quis du-
 bitet, Atheniens̄ haec reipublicae ſuſidia neglexiſſe prouehenda? In quorum pro-
 uincia mons *Laurius*, in Attica maritima haud procul a promontorio Sunio ſitus,
 opulentissimiſ metallorum dotibus eminebat, cuius reditus ciues aequaliter diui-
 ſiſſe, Themistoclem autem conſilium indicaffe, quo hostes ab infidiis harum
 opum depellerentur, THVCYDIDES docet. t) Pari contentione *Lacedaemoni* ſe-
 rei metallicaſ ſeruiebant, quos STRABO narrat u) fodinas ad montem Tay-
 getum exercuiſſe, νεως ἐν τῷ Ταγετῷ μεταλλον αὔεωξαν, nuper metalla in
 monte Taygeti aperientes; quod MARTIALIS etiam conſirmat, canens: w)
 illuc Taygeti virent metalla.

Eodem

-
- | | | | |
|---------------------|------------------------|------------------------------|-------------|
| l) 2. Sam. XII, 3t. | m) Hist. L. IV. c. 19. | n) Hist. Nat. L. VII, c. 57. | |
| o) L. XVI. | p) L. XVI. | q) Liv. H. R. Libr. 45. | r) Lib. |
| VIII. c. 3. | s) Iliad. B. | t) De bell. Pelop. L. VI. | u) L. VIII. |
| w) L. VI. Ep. 42. | | | |

Eodem nomine HOMERVS Alyben celebrat

ὅτεν ἀργυρός ἐσι γενεθλη, ex qua est argenti origo. *)

Colchorum autem regionem auri fuisse feracissimam, ex eo adparet, quod flumina etiam illius particulas vehebant. Ita enim STRABO: x) παρα τετοις λεγοται καὶ χρυσον καταφερεν τας χειμαρρες, h. e. apud Colchos dicuntur etiam torrentes aurum secum ferre. Ideon PLINIVS adfirmat: y) rex Colchorum, Salaces, non solum plurimum auri atque argenti eruisse hoc ex regno dicitur, aurei velleris fama inclito, sed etiam illius camerae et trabes, et columnae et parastatae argenteae narrantur. In Cypro vero urbs Tamassus hoc nomine commendari meretur, cuius μεταλλα χαλκος αρδονα h. e. fodinae aeris copiosae commemorantur, z) et cuius ipsum nomen a Phoenicibus impositum a οση, i. e. liquefactis et fusis metallis deriuandum, BOCHARTVS suspicatur. a) Neque insulis Graeciae natura insignem metallorum ubertatem denegauit. Quo nomine HERODOTVS insulam Thasum celebrat: b) ή προσοδος σφιν εγενετο αποτων μεταλλων, h. e. redditus illi erat ex metallis, eamque ob caniam ante Phoenicum aduentum eam Chrysen, i. e. auream dictam fuisse, EVSTATHIVS ex Arriano probat: c) εκαλετο ποτε χρυσον νησος δια τα χρυσα μεταλλα, h. e. olim Chryse nominabatur propter aurea metalla. Præterea inter insulas Cycladas Siphnus auri atque argenti fertilitate mirifice exsplendescet, quod HERODOTI testimonio confirmatur: d) νησιωτεων μαλισα επιλαγτεον, ατε εοιτων αυτοισι εν τη νησω χρυσεων καὶ αργυρεων μεταλλων θτως, ονε απο της δεκατης των γνομενων αυτοθεν χρηματων Θηταυρος εν Δελφοις ανοικεεται, h. e. insulanorum Siphnii erant opulentissimi, qui tantum aureorum atque argenteorum metallorum habebant, ut ex decimis pecuniariis, quae inde redibant, Delphis opes insignes reponerentur. Quanto autem metalli prouentu Carthago olim excelluerit, STRABO docet, e) narrans, τετταρας μυριαδας αθρωπων μενειν των εργαζομενων, αναφεροντας τω δημω των Ρωμαιων καθ' εκατηνην ημεραν δισμυριας καὶ πεντακιχιλιας δραχμας, h. e. quadraginta millia hominum ubi labore occupari, qui populo Romano (cuius imperio ea tempestate Carthago parebat,) indies viginti millia drachmarum reddebat. Fallitur igitur LVCANVS, f) Libya regionem his verbis depingens:

In nullas vitiatur opes: non aere nec auro

Excoquitur nullo glebarum criminе, pura

Sed penitus terra est.

Porro mons Tmolus, Sardibus incumbens, eadem fama celebratur, qui HERODOTO

*) Iliad B. 857.

L. XIV.

e.) l. c.

x) Geogr. L. XI.

a) Geogr. p. 355.

f) L. IX.

y) Hist. Nat. L. XXXIII. 41.

b) L. XVI.

c) p. 79.

z) Strab.

d) L. III.

DOTO Φηγμα χρυσού καταφορεων, aureas arenas trahens, dicitur, ab
NONNO autem g) *Pactolus*

- - - ἔχει τεσσαραν δε μεταλλων
ηλυθεν ἐκελαι δέρα γερων Παντωλος αἰερων

opulenta metalla ferens, celebratur, et in quo CLAVDINVS aurea stagna admiratur, h) unde Croesus, Lydorum rex decantatus, maximas opes haufit.

Et quis eam metallorum ubertatem verbis satīs dignis prosequi poterit, quibus Hispania olim adfluxit? et quae ipsis in sacris litteris celebrantur. i) Paucis multa STRABO complectitur, illas diuitias hoc modo describens: k) ὁδε ἀργυρος, ὁδε δη χαλκος, ὁδε σιδηρος ὁδαμη της γης, ὁτε τοσπετος ὁδος ὁτας αγαθος ἔξητασαι γενομενος μέχρι νυι, h. e. neque argentum, neque aes, neque ferrum ullibi terrarum neque tam multum, neque tam præstans gigni, hac tenus est compertum. Eadem DIODORVS SICVLVS sentit: l) αυτην χωρα χεδον τη πλειστον καὶ καλλιστον ἔχει μεταλλευμενον ἀργυριον, h. e. haec regio et plurimum et optimum habet fossile argentum. Et memoratu omnino dignum videtur, quod idem scriptor de opibus Hispaniae subterraneis litteris consignatum reliquit, cuius summa huc fere redit: quum crebrae et arboribus densae multis in locis huius regionis syluae essent, uniuersum tractum montanum, igne à pastribus iniesto, penitus conflagrassē. Quum igitur multos per dies incendium grassetum esset, terrae superficiem exustam montibus Pyrenaeis (ἀπυρη, igne) nomen fecisse, simul uero maximam argenti copiam exsudasse, adeo, ut, liquefacto metallo, passim riuuli argenti dimanarent. Cuius usum quum incolae ignorarent, Phoeniciae mercatores, re cognita, mercium uilissimarum permutatione illud redemisse, eoque in Graeciam, Asiam atque alias terras transuecto, incredibiles opes sibi comparasse. Atque ex hac negotiatione Phoenices, opulentiores factos, colonias in Siciliam, Sardiniam et vicinas insulas misisse. Tempore interiecto, Hispanos, de usu huius metalli eductos, multa cum cura passim fodinas instituisse, et plurimum lucri ex iisdem retulisse. Ita enim idem STRABO pergit: n) οἱ κατα την Ισπανιαν μεταλλεύγοι τοις ἐλπισι μεγαλες σωρευεσι πλατεις ἐκ τετων των ἔργασιων. Των γαρ πρωτων ἔργων ἐπιτυγχανομενων δια την της γης ἐις τετο τογειος ἀρετην, αει μαλλον ἐυρισκοσι λαμπρερος φλεβας, γεμετας ἀργυρος τε καὶ χρυσος. Πασα γαρ η συνεγγυς διαπεπλεκται πολυμερως τοις ἐλιγμοις των φαβδων, h. e. Qui in Hispania operam rei

g) in Dionysiac. v. 528.
k) L. III.

h) in Rufin. I. 103.
l) L. V.

m) l. c.

i) 1. Macc. VIII, 3.
n) l. c.

rei metallicae nauant, magnas ex ipsis laboribus diuitias pro spe sua coaceruant. Nam post felicem primi operis successum propter singularem terrae in hoc genere bonitatem venas subinde magis splendidas argentoque et auro refertas inueniunt; siquidem tota in propinquuo tellus venarum anfractibus multifariam est intertexta. Consentit PLINIVS: o) metallis plumbi, ferri, aeris, argenti atque auri tota Hispania scatet: et idem narrat, p) vicena millia pondo annis singulis Asturiam, Galliciam, et Lusitaniam praestare, neque ulla in alia parte terrarum eiusmodi fertilitatem metallorum reperiri. Eandem foecunditatem SILIVS ITALICVS loco non uno praedicat, iam admirandum copiam illius indicans: q)

- - - heic omne metallum
Electri gemino pallent de semine venae,
Atque atros chalybis foetus humus horrida nutrit:

iam animorum cupiditatem ostendens, metalli illecebris inflamatam; r)

Augebant animos argenti pondera et auri,
Parta metalliferis longo discrimine terris:

iam hostes ab his diuitiis repulsi commemorans; s)

- - - terra cedit Ibera
Auriferis tandem Phoenix depulsus ab aruis.

Phoenicios autem atque Carthaginenses his diuitiis usos fuisse ad diutina bella cum Romanis gerenda, ex rerum gestarum annalibus abunde constat. t) Neque minus Romanos, rerum in Hispania potitos, ex metalli fodinis opes suas amplificasse, scriptores testantur. Ita enim DIODORVS SIC. u) ὑπερον, τῶν Ρωμαϊκῶν κρατησάντων τῆς Ιβηρίας, πλῆθος Ιταλικον ἐπεπολατε τοῖς μεταλλοῖς, καὶ μεγαλεῖς ἀπεφεροντο πλευτες δια την Φιλοκερδίαν. Ωνυμενοι γαρ πλῆθος σύδραποδων, παραδιδοσι τοῖς ἐφευηκοτι ταις μεταλλικαις ἐργασίαις. Ούτοι δε κατα πλειονας τοπες, αὐοιζόντες σομια, καὶ κατα βαθος ὀρυττοντες την γην, ἐρευνωσι

o) Hist. Nat. Lib. III. 3.

r) L. XV. 50.

s) L. XVI, 25.

p) L. XXXIII, 4.

t) Rollin dans l' Histoire des peuples anciens. P. I. L. II. c. I. §. 5.

q) L. I. 228. sq.

u) L. V.

v) Rollin dans l' Histoire des peuples anciens. P. I. L. II. c. I. §. 5.

Ἐρευνῶσι τὰς πολυάργυρές καὶ πολυχρυστὰς πλακὰς τῆς γῆς. Καταβαίνοντες δὲ ὁ μοιον ἐις μηκος ἄλλα καὶ ἐπὶ τὸ Βαθός παρεκτενοῦτες ἐπι πολλὰς σαθῆνες, τὰ ὄρυγματα καὶ πλαγιές καὶ σκολιαὶ διαδυτεῖς ποικίλας μεταλλεύματες, αὐαγεστιν ἐκ βυθῶν την το κερδος αὐτοις παρεχομειν βωλον. h. e. Tandem, Romanis Hispania potitis, metallorum a plebe Italorum frequentata sunt, quibus lucri cupiditas opes immensas comparauit. Mancipia enim magno numero coemtae operum metallicorum praefectis tradebant. Ab his ostia pluribus in locis aperiabantur, terraque effossa, massae auro atque argento scatentes indagabantur. Ingressi autem non modo in longum sed etiam in profundum, fodinas ad multa stadia producebant, actisque varie in transuersa atque obliquum fibrarum mentibus, glebas, unde lucrum captabatur, ex imis terrae visceribus egerebant. Quae quum ita sint, non miramur, opes subterraneas, quas tellus Italica fouet, fuisse negligetas, quum Romani aliis ex terris tantam metallorum copiam compararent; quos nostra aetate Hispani fere imitantur, ex quo uberrimas Americae diuitias sui iuris fecerunt, ubi, teste poeta, w)

- - nitidi congesta metalli
pondera, torrentique solo gemmantia saxa
fundit ab auriferis pretiosa Peruuia terris, etc.

Quod autem ad rem metallicam Germaniae attinet, negari non potest, nostra aetate eam maiori studio non minus quam felicitae excoli, quam à ueteribus factum est. Nam, quod CORN. TACITVS existimat, priscos Germanos omnem curam metallorum vel exquirendorum vel tractandorum abiecisse; x) in eo multos habet dissentientes qui argumentis idoneis demonstrarunt, Germanos iam ante Taciti aetatem metallorum fodinas et habuisse et frequentasse. y) Et sicuti hoc ingens Dei immortalis beneficium ad nos patriamque nostram largo cum foenore est translatum: ita coniunctis animis et votis eundem omnis boni largitorum precamur, ut has beneficiae naturae opes in posterum etiam sartas ac tectas conferuare, indies autem amplificare atque augere velit.

Haec eximia autem beneficia, quibus Pater caelestis terram nostram ornauit, animo complectentes, merito et in aiori iure ea simul ornamenta in memoriam reuocamus, quibus res nostra publica exsplendescit. Et quum mensis Augustus Saxoniae inde à longis annis solennis fuerit, quo pro Optimo Patriae Patre uota religiosissima nuncupabamus, et gaudia publica testabamur; nunc eodem

w) Alex. Donati Carm. L I. 16.

x) in Germ. c. V.
Reuschii Diss. de originibus metallifodinarum in Germania, Helmst. 1725.

y) Erb.

eodem mense gemina nos causa adducit ad pietatis obsequium praestandum. Non solum enim Augusto ineunte dies nomini Electoris nostri Clementissimi FRIDRICI AVGUSTI, consecratus, hoc officium nobis imperauit; sed idem etiam mensis iam ad finem vergens ad preces pro salute Serenissimi Administratoris XAVERII, natali auspicio recurrente, faciendas nos exhortatur.

Quam pietatem tres coetus scholastici alumni nomine Gymnasii nostri declarandam suscepereunt. Quorum primus,

CHRISTIAN GOTTHELF LEHMANN,

Loepersdorf. Misn.

nouissimis litteris publicis permotus, quae inter alia impedimenta ac nocum-
ta reipublicae artem Alchymisticam referunt, z) oratione Latine inquiret:
utrum Alchymia sacris in litteris probetur? Secundus,

JO. CHRISTIAN RENNER,

Geyssinga - Misn.

de explodendis vulgi superstitionibus, cum suo condiscipulo

FRIDR. GOTTLÖB FIEDLER,

Brand. Misn.

sermone vernaculo colloquetur. Et ille quidem simul legati IAENICHIANI,
ad usum coniuctus scholastici destinati, hic vero beneficii ECCARDO-RICH-
TERIANI anniversariam memoriam renouabit, uterque voluntati testamenti
haud violandae satisfacturus.

Qui igitur incolumenti Summorum Magistratum, saluti patriae et fa-
mae scholae nostrae bene cupitis, hoc religioni ac pietati dabitis, quod obse-
quiose à Vobis petimus, cras, audita hora ante meridiem nona, animum pro-
pensum atque aures vacuas adferentes. P. P. Freibergae.

d. XXIII. Aug. A. R. G. MDCCCLXIV.

z) Extract der Leipz. Zeit. XXXII. St. d. II. Aug. 1764. p. 128. Unsere heu-
tigen Policey-Verstaendigen, wenn sie die Ursachen der abnehmenden Nahrung
und des Wohlstandes der Laender angeben sollen, führen hauptsächlich an den
Mangel des goettlichen Segens, den Verfall des Christenthums, Missiggang,
Betteln, Verschwendung, gewinnstüchtiges Spielen, unnützes Nachahmen fremder
Sachen, Lotterien, ALCHYMISTEREY, etc. etc.